

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

LXXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

LXXX.

CHARTA HONORII III. PONT. QUA COMPOSITIO-
NEM DE JURE PATRONATUS TRIUM ECCLESIARUM,
KILCHEIM, MATERA ET EMMUETINGEN, ME-
DIANTE CONSTANTIENSI EPISCO-
PO FACTAM, CONFIRMAT.

ANNO MCCXIX.

Ex Tabulario S. Petri Basilea.

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Volmaro Ple-
bano de Kilcheim & Burchardo fratri suo salutem & apostolicam
benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem pre-
bere consensum & vota, que a rationis tramite non discordant effectu
prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis
postulationibus grato concurrentes assensu compositionem inter vos ex
parte una & Algottum ac quosdam alios Constantiensis diocesis ex altera
super jure Patronatus de Kilcheim de Matera & Emmuetingen ecclesia-
rum mediante venerabili fratre nostro Constantiensi Episcopo amicabili-
ter initam sicut sine pravitate provide facta est, & ab utraque parte
sponte recepta & in Instrumento ejusdem Episcopi confecto exinde con-
tinetur, auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocini-
o communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam

nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Viterbii II. Id. Decembris Pontificatus nostri Anno Quarto.



L X X I.

CHARTA BERTOLDI LAUSANENSIS EPISCOPI,
QUA ADVOCATIAM LAUSANENSIS ECCLESIAE, POST
MORTEM BERTOLDI ULTIMI ZARINGIAE DUCIS
RECEPTAM, NEMINI IN POSTERUM SE
CONCESSURUM PROMITTIT.

A N N O M C C X I X.

Ex authentico Schmidiano Bernae.

Bertoldus divina miseratione Lausanensis Episcopus. Omnibus tam futuris quam presentibus rei geste memoriam. Pastorum cura diligens ab ovili debet lupos arcere, & ex malis preteritis futura inferum vigilantius precavere. Eapropter dignum duximus apicibus annotari, quod cum *Bertoldus Zaringie Dux* advocatiam Lausanensem longo tempore tenuisset, quam contra voluntatem predecessorum nostrorum sibi per emptionem indebitam usurpaverat; que advocatia cum hominum ligium deberet Episcopo, memoratus Dux nec hominum nec aliud inde servitium ecclesie fecisset, sed de bono mali causam assumens, in